

Bernhard Barnstorff

**Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Bernhardus Barnstorff ... ad
Exequias, Quas ... M: Henrico Carmohn, Templi Cathedralis Pastori ...
Moestissima Vidua parat, O. O. Cives Academicos, officiose & peramanter invitat
: [P.P. die IIX. Ian. A. MDCXCII]**

Rortochii: Wepplingius, 1692

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747421390>

Druck Freier  Zugang



Barnstorff, B. ,
in H. Carmon.

R. 1692.

43

Universitäts
Bibliothek
Rostock

PROGRAMMA

2^{vo}

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,

BERNHARDUS

Barnstorff /

Med. D. P. P. & Poliater,

ad Exeqvias,

Quas

VIRO Pl. Reverendo, Clarissimoque

DN.

M: HENRICO

CARMOHN,

Templi Cathedralis Pastori meritissimo,

Marito suo desideratissimo,

Mœstissima Vidua parat,

O. O. Cives Academicos, officiosè & peras

manter invitat.



RORTOCHII,

Typis JOHANNIS WEPPLINGII, Acad. Typogr.



Stephani dies erat, secundæ nati-
vatis Domini Feriæ coincidens, cum
vinculis corporis, desideratâ tanto-
pere ἀναλύσει solveretur, Emanuelis
sui manibus suaviter excipiendus, Eju-
demque consortio & amplexibus miri-
ficè reficiendus spiritus, Viri Pl. Re-
verendi Clarissimique, Dn. M. HEN-
RICI CARMOHNII, Pastoris Templi
Cathedralis vigilantissimi, dudumque

optimè meriti. Et sic eâ luce, quâ per tot annorum officii fi-
deliter præstiti decursum, toties, concepta de Servatore re-
cens nato, concrediti sibi gregis gaudia, publico præconio,
aureique verè oris suavitate fovere, simulque bene morien-
di artem, abs S. Stephano protomartyre, tranquillo planè
animo, vultuque Angelicam præ se ferente *παρηγορία*, deceden-
te, addiscendam inculcare sivevit, ipsâ praxi suâ, quod alios
docuit, confirmavit. Non sine pio consilio institutam esse
credimus ab Ecclesia DEI, supra memoratorum, nativatis
Christi, Stephanique Festorum combinationem. Scilicet, ob
oculos ponere, fidelium Christi sectatorum, de concepto
natoque spiritualiter in cordibus suis Domino gaudentium,
vicem voluit, qui mundi contemptum, odium, machinatio-
nes, persecutiones, afflictiones, cruciamenta, ipsiusque tan-
dem dirissimæ mortis ultima, ad exemplum Servatoris sui me-
dullitus dilecti subire haut raro coguntur. Quod ipsum sancti
Apostoli tantum non omnes, aliique primitivæ potissimum
Ecclesiæ Confessores ac Martyres, quorum Stephanus famili-
am ducit, invictâ, nullisque tormentis cedente constantiâ,
gravissima passi, satis experti sunt. Præterea, eum quoque
pia intentio scopum sine dubio vidit, ut vitæ futuræ, per vitæ
Principem terris donatum reparatæ, certiores facti Christiani,
fragilis vitæ hujus finem, tanquam non cessaturæ illius initium,
veramque illam bene finiendi rationem meditari, nec unquam
mortis memoriam, etiam inter jucundissima animi oblecta-
menta deponendam esse discerent. Insignia sanè, maximè-
que profutura commoda, mortis recordatio frequens parit. Et
enim, ad vitam piè sobrièque instituendam, respuestasque
peccati

peccati speciosè invitantis illecebras, multùm valet. Mortem qui cogitat, mortalia peccata, quantum potest, declinat, illorumque turpi servitio teneri, rem periculi plenissimam, æternique exiti adductricem habet. Eleganter Augustinus lib. 2. de Genes. contra Manich. c. 28. *Nihil, ait, sic revocat homines à peccatis, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Cui consonat Anselmus Epist. 113. ad Garnerium Lib. 3. *Qualem te desideras, inquit, inveniri in diebus obitus tui, ealem te quotidiè stude exhibere, & semper, quasi cras moriturus, hodie te prepara ad reddendam rationem vite tuae, & sic de virtute in virtutem proficies.* Hujus vitæ tempus, ad benè operandum, juxta legis divinæ præscriptum, concessum hominibus est, quod si negligatur, aliostrisque, vel vitiosis actionibus eximatur, tum fatali, decretoriâque veniente horâ, excluduntur ab ulteriori pietatis exercitio, DEOque placendi studio. Mercaturæ, quæ in publicis nundinis exercetur, vitam nostram ingeniosè ideo comparat Nazianzenus, (secutus, uti videtur D. Paulum, *ὁ ἕναγοράζων καὶ ἐν*, seriò inculcantem) justo tempore emendum, negotiandumq; i. e. faciendum quod factu opusest, docens. Verba ejus in sententiis spiritual. tetrastich. 9. sic habent:

Παθήγου νόμιζε τὸνδε βίον.
 ἢ Πραγματέωσῃ κίρῳ, ἀντάλλαγμα τῷ
 Μικρῷ πὲρ μάλιστ', καὶ εἴοντ' αἰδίων.
 ἢ ἢ παρέλθῃ, καὶ τὸν ἄλλον ἔκ ἔχεις.

h. e. ex versione Jo. Langi pag. 37.

*Vitam esse nostram crede veras nundinas,
 Mutare lucra, si sequare, nam licet
 Æterna fluxu, utilibusq; maxima.
 Sin illa fugit, tempus haur aliud venit.*

Vel, ut Feder. Morellus transtulit, Tom. 2. Opp. Nazianz. f. 79.

*Hanc esse vitam nundinas, credas velim.
 Negotiari si scias, lucrum feres,
 Caduca mutans commodis perennibus,
 Post tempus istud alterum non suppetet.*

Præprimis vero, mortis meditatio diligens, familiarem quasi eam nobis reddit, adeo quidem, ut, quæ terribilis antea videbatur, horrorem haut levem incutiens, nunc grato se vultu infi-

Λ 2

ris

tuet, suiq; desiderium pariat. *Mortem ut nunquam timeas, semper cogita. Hoc affigamus animo, moriendum est. Hoc unum cogita, quomodo familiaritatem cum morte contrahas, ut imperterrito animo ei obviam procedas, inquit Seneca.* Deploranda hic omnino hominum, maximè Christianorum socordia est. Omnes quotquot vitali vescuntur aurâ, eâ se lege in hanc vitam venisse, ut eâdem excedant iterum, vitamqve cum mortis exceptione datam esse, haut nesciunt, parcissimè tamen & languidissimè plurimi de vitæ fine cogitant. Moribundis oculos manu claudens, vitam ejus qui moritur finitam pronunciat, suam tamen finiendam, perfunctoriè vel planè non considerat. Epicedia, threnos, nânias, feræ campanas, viventes audiunt, notissimorum tumbas & tumulos transeunt, & tamen se eò brevi ducendos obliviscuntur. Quinimo non aliis magis, quam mortis cogitationibus anguntur & terrentur. Refert de Nobili quodam, Mengeringius *Informal. p. 150.* qui cantica sacra de morte, quo minus in æde sacrâ, suæ ditionis, in publico cœtu canerentur, prohibuit: quasi mors sui non habiturus esset rationem, si ejus ipse oblivisceretur, struhionis ad exemplum, qui insequentibus evasurus venatores, caput in fruticeto cœdere dicitur, se neminem videntem, nec aliis videri autumans. Indigna homine Christiano res hæc est! Proinde illis, qui non tam nominari se tales gaudent, quàm esse laborant, gratissima potius omni tempore mortis existit memoria. Johannes Eleemosynarius, Alexandria Episcopus, sepulchrum sibi extrui fecit, ita tamen, ut semet in vitâ supersitite non perficeretur structura, indeque, cum summâ frueretur lætitiâ, semper aliquem adhibuit sciscitantem, annon absolvi structuram vellet? quod refert Vincent. Bellocensis in *Spec. Moral.* Laudabilis hæc fuit ratio, mundi gaudia interpellandi, mortis recordatione. Et qui id refugerent fideles Christiani, utpote qui mortem non solum omnium miseriarum finem, sed etiam vehiculum esse norunt exoptatissimum, quo brachiis Salvatoris sui dulcissimi, ad æternæ quietis fruitionem inferuntur. Hunc enim eâ de causa in mundum venisse sciunt, ut mortem destrueret, eumque simul qui ejus habebat imperium. Atque adeo tantum abest, ut reformident eandem, ut potius latentur, & dissolvi, cumque Christo esse, anxie desiderent. Quid nisi Servatore, pûssimus senex Simeon egerit, quantâque cum animi

animi voluptatē, de vitā suā in pace finiendā cogitaverit, novimus omnes. Et quam generosa, mortem contemnentis, animosque risu excipientis Ignatii Martyris illa vox est: *Ultimam*, inquit, *fruar bestias, quam mihi sunt preparata, quas ego mihi veloces esse ad interitum, & allici ad comedendum me, ne, sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego urgebo ut devorent. Ignis, crux, bestia, contractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis coneritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, ut tantum Christo fruam.* Idem sane divus agebat Stephanus, qui veram bene finiendi rationem pluribus nos docuit, quando fide & spiritu plenus, amore Christi velut ebrius, infractā animi constantia, immotāque patientiā, mendacium linguarum, aculeos, feralium lapidum ictus, nihili ducebat, spiritumque suum Domino commendans, pro inimicis etiam apud DEum intercedens, vitam placidē ponebat. Sic igitur etiam beate defunctus noster, supra memoratus, vitam suam composuit, ut nunquam mortis memoriam omiserit, eaque sine dubio, die imprimis sibi fatali, Stephani nempe, meditatus inter summa de Salvatore sibi nato gaudia est, quæ ad beatissimam ἀνάλυσιν, illius exemplo conformandam, pellendumque omnem mortis horrorem facere poterant. Videamus vero ea, quæ de vitæ Ejus ortu pariter ac progressu conceptis sequentem in modum verbis oblata nobis sunt.

Natus est B.n. in Inclita hac Roscā nostrā Civitate A. R. S. MDCXLIII. d. XIII. Decembr. Parentemque habuit Virum Nobilissimum, spectatissimæque integritatis senem DN. JACOBUM CARMOHNIUM, inter cives heic facile quondam primariam, insimulque Hereditarium in VIETZENÆ REINSTORFF, cujus eximias laudes, cum nuperum programma, scriptaq; in illum publicè sumebria, satis superque loquantur, nolumus de illo quicquam nunc addere. Matrem salutavit B. noster Defunct. ANNAM RIDEMANNIAM, Matronam Nobilissimam, Pientissimam, suiq; sexus dotibus ornatissimam, post acerbissima Mariti charissimi, ante quatuor menses pie defuncti fata, mortem nunc etiam prematuram inopinatumque Filii natu maximi Dilectissimi, luctuosissime plorantem, cui

A 3

solacium

solatium è vivo Consolationis Fonte penetrantissimum, tamque
acerbè iterato dolori sufficientissimum apprecamur! Avus
Paterne pie nostri De functi extitit JACOBUS CARMOHNIUS
ortum suum è generosa nobilique Anglicanorum Equitum prosa-
piâ referens, obque morem regni istius, primogenitum saltem
honorum paternorum heredem constituentem, inde quasi exul,
mercatura præprimis hic Rostochii operam impendit. Avia
paterna ipsi fuit MARGARETHA SIEBETHIA, nobili quo-
que Siebethiorum orta stemmate. Avus Maternus pie nostri De-
functi fuit HINRICUS RIDEMANNUS, Civis & Oenopola Chi-
loniensis, nec non ibidem Præfectus Templi Nicolaitani dex-
terrimus, uti & ex sedecim viratu Civium non postremus.
Aviam Maternam nactus est ANNAM DREIERIAM, post
mortem charissimi sui Mariti in statu viduo tringintaquinque
annis commorantem, & anno ætatis demum 85. vitam beatè
finientem. Gloriam porro haud minimam, prosapia huic as-
fert Proavus nostris p. D. Paternus, WALTHERIUS CARMOH-
NIUS, Eques Anglus, HENRICO IIX. Regi, ob emolumenta
Reip. collata non vulgariter estimatus, qualem quoque splen-
dorem Familia huic conciliat proavia illius paterna ISABEL-
LA RAMSEIEN, ex illustrissima Baronum Ramsejorum prosapia
originem trahens. Proavus autem Maternus laudatur HER-
MANNUS RIDEMANNUS, præcipuus Mercatorum Osna-
brugensium & proavia materna ipsi obtigit, Fæmina Virtu-
tissima pariter & piissima Adalgunda Tutmeieria. Abavus pa-
ternus venit commemorandus JACOBUS CARMOHNIUS
Eques Scoticus, à Domo Dondinianâ, qua à multis annis
Carmoniorum fuerat sedes celebris. Abavia paterna fuit
CATHARINA BODDEKERIA, Abavus Maternus nominatur
PETRUS DREIERUS Echlenfordensis mercator eximius. Aba-
via materna vocatur MARGARETHA TAXEN, fœmina le-
tissima, virtutibusque egregiis conspicua. Possemus equi-
dem majorem Majorum afferre numerum, eorumdemque
laudes & merita in ampliorem hujus prosapie splendorem ex-
tendere

tendere; verum cum tot jam antea publice scripta program-
mata in consanguineorum agnatorumque Funera, praprimis in
B. LICENT; RIDEMANNUM, in V. Conjugem SCULTETIA-
NAM, nuperrimumq; illud in laudatissimum senem Dn. JACO-
BUM CARMONIUM, patris nostri defuncti parentem, fusius hac
omnia contineant, plura cupientem B. L. illuc remittimus. Hisce
itaque Majoribus patris noster Des. originem suam debens, generis
quidem, minime verò animae nitorem sibi acquirere potuit,
sed necesse omnino erat, ut abs adspersa peccati labe, sacro bap-
tismatis lavamine mundaretur; id quod etiam pro more Chri-
stianis divinitus precepto factum, nomenque insimul ipsi
HENRICI est impositum. Cumque in tenerissima statim infantia
solertis ingenii in ipso emicarent radii, curatius in illum
advertentes Parentes, solidiori cura ac Informationi Praecep-
torum Eruditorum ipsum commiserunt, quos inter praprimis
nominandi, Russelius, Hoffmannus, Klingius Superintendens
hodie in veteri Marchia Gravissimus, Nostitius, Parschbitius, &c.
qui omnem in formanda egregie hanc juventute moverunt lapi-
dem, eoque felici successu collocarunt in ipso fundamenta,
ut anno etatis suae decimo sexto, consilio arbitrativè Paren-
tum in Scholam Stralsundensem abire, ibidemque studiorum
suorum cursum continuare potuerit, quo in laudabili propo-
sito, faventes sibi quam maxime expertus est Scholam illam
tum temporis fidelissime Moderantes, atque inter illos prapri-
mis, celeberrimum DN. D. FRIEDLIBIUM, DN. Rectorem UF-
FELMANNUM, &c. His cum aliquantisper cum laude
commoratus esset B. noster D. ad altiora adspirans, Halam
perrexit Saxorum, absolutisque ita studiis Gymnasticis, Aca-
demicam amplexurus vitam Anno 1660. petiit Lipsiam, cele-
berrimam pariter & florentissimam Academiam, ibidemq;
Collegiis publicis privatisque eximie suam adauxit eruditio-
nem. Praecipue in Philosophicis praecurantes sibi habuit DN.
SCHILTERUM & LEPLERUM, in Theologicis verò, incomparabi-
les

les illor Theologos D. HULSEMANNUM, D. CARPZOVILUM,
D. GEJERUM, sedulo audivit & solidiorem abs illis hausit
scientiam Theologicam. Hoc in studio Academico cum jam
D. noster defunct. laudabiliter feliciterque satis decurrisset,
desiderio flagravat, exera salutandi loca, quare illustrioribus
sociis ferme Romani Imperii perlustratis maximo cum fructu
locis, Anno 1664. patriam repetere Academiam in animum sibi
induxit. Redux itaque Rostochii, tum Philosophorum, tum
Theologorum celeberrimorum opera gnaviter usus est, & impri-
mis manuactione Maxime Rever. DN. D. COBABI, b. m.
Theologi vere Orthodoxi per duos annos gavisus est, sub cu-
jus quoque presidio publicam habuit Disputationem, atque ita
& hic Collegia tam publica quam privata assidue visitando
itemque Opponendo sapius & Respondendo, Dominorumque
Professorum favorem sibi conciliando, talem se gessit, qua-
lem sedulum ac pium Theologia studiosum decet. Factum
hoc tempore ut Avia B. nostri Defuncti satis concederet, ejus-
que corpus solo patrio humandum, Chilonium, seu sub fide ju-
ramenti promissum illi erat, esset deducendum, qua occasione
piè D. sese unà cum Patruo HENRICO RIDEMANNO, Funus
comitando illic etiam contulit, Academiamque illam Chilo-
niensem quoque salutavit. Contigit autem eo tempore, ut
Equitum Holsatorum quidam primarius HANS RUMOHR,
Dux Militaris strenuus, liberis suis Ephorum expeteret aptum
atque idoneum, talemque piè nostr. Def. saluaret, ipsiusque fidei
& fidelis institutioni liberos suos concrederet. Quo cum pro-
lubio Hospitis sui hanc sibi demandatam ornatis spartam vel
ex solo temporis tractu, quo ibidem commoratus est, integris
scilicet quatuor annis, colligere licebit. Tenuit etiam illum in-
credibile semper illius loci desiderium, unde, cum parentes suos
& agnatos aliquando hinc indivisurus Anno 1670. iter huc
faceret, animum in Holsatiam redeundi firmum habuit ac
stabilem. Ast interveniens vis superior summi Numinis, ita
temporis disposuit, ut post habitam unam alteramve con-
cione

cionem, ad officium promoveretur Ecclesiasticum. Scilicet An-
 no 1671 cum placidè beateque defuncto viro pl. Rever. Dn.
 Slutovio, Diaconatus Nicolaitanus vacaret, unanimi con-
 sensu Senatus civiumque, legitimè B. n. in hunc locum fuit sur-
 rogatus, perque solennem Ordinationem ac introductionem à
 Maximè Rever. tum temporis Superintendente P. Mariano, cele-
 berrimo Dn. D. MÜLLERO, Diaconus Nicolaitanus fuit con-
 stitutus, pariter Eodem tempore Laureà fuit ornatus Philo-
 sophicà. Placuit tum etiam piè n. D. ex consensu parentum ini-
 re matrimonium, unde DEO sic disponente, cum lectissimà
 omnibusque virtutibus ornatissimà Virgine ANNA EIBELUR-
 SLIA, viri spectatissimi DN. JOHANNIS EIBELURSEN, Civis
 quondam & Aromatarii hujus Urbis Primarii filià, ex voto u-
 trorumque Parentum conjugium contraxit Ann. 1673. Mense
 Februario, illudq; solenni nuptiarum celebratione obfirmavit.
 Durante hoc Matrimonio, quod maximè fuit tranquillum
 faustum ac fortunatum, B. n. ex dulcissimà suà Coniuge, quinq;
 suscepit liberos, quatuor, se invicem ordine excipientes filios
 (1.) JOHANNEM-JACOBUM (2.) HENRICUM, atq; hoc mor-
 tuo (3.) adhuc HENRICUM, (4.) JACOBUM, & filiam unicam
 ANNAMELIS ABETHAM, qui omnes, ad unum JACOBUM
 adhuc per DEI gratiam !superstitem, præmaturæ morte obi-
 erunt. Quæ funera quas Parenti mæstissimo expresserint lachry-
 mas, cogitari melius quam scribi poterit. Mediiori nihilominus
 forte A. 1675. B. N. ob dona planè eximia ad Archi-Diaconatum
 Jacobæum, magno cum auditorum applausu fuit promotus,
 Cæterū duriora adhuc erant reservata ipsi fata, fata scilicet Mel-
 litissimæ sue dulcissimæq; conjugis, quam morte nimis accele-
 ratà à latere sibi ereptam dolentissimè flere coactus est, Anno sci-
 licet 1679. Cum vero post absolutum decenti modo luctum, res B. n.
 domestice aliam expeterent Matrem familias, ipsiq; ad se-
 cunda transeundum esset vota, quod non sine lachrymis preci-
 busq; ad Deum fuis ardentissimis factum credendum, Divini
 Numinis providentia viam ipsi monstravit ad edes Viri sum-
 mè Reverendi DN. AUGUSTI PARENII, S. S. Theol. Doct.
 & Prof. Publ. Celeberrimi, Consist: Ducal; Assessoris gravissimi,

Facult. Theol. Collegi Ducal. totiusq; Academia hujus Senioris
Maximè Venerandi, cujus filiam natu minimam, Virginem
Nobilissimam omniq; virtutum splendore maximè conspicu-
am CHARITATEM, decenter sibi conjugem iterum expetiit.
Factus quoq; voti compos, illam sibi Anno 1680. Mense Februario
feliciter nexu matrimoniali copulari curavit. Nec defuit huic
conjugio, quod aq; illud ac prius felix redderet faustumq;:
Scilicet incredibilis in illo dabatur amoris nexus & concordia
omnibus numeris absoluta. Testari id præter alia documen-
ta poterunt, producti ex hoc per Benedictionem divinam, ar-
tamq; amoris illibati copulam, tranquillo pacificoq; Matri-
monio, quatuor liberi, tres scilicet filii iterum ordine se socian-
tes (1.) AUGUTVS (2.) HENRICVS & (3.) PAVLVS. JO ACHI-
MVS, & unica Filia ANNA CHARITAS, ex quibus unicus
saltem restat PAVLVS. JO ACHIMVS, cæteri in tenerissimâ itidem
ætate sunt morte extincti. Judicari inde faciliè poterit quan-
tis curarum fluctibus D. n. animus quasi fuerit obrutus, quam-
que patientiam tot in luctuosissimis casibus operosè exercere ne-
cessum habuerit. Id quod non minus laudes n. piè Def. quam
coetera in illo deprehensa virtutes, ad auget, de quibus proxi-
orem jam formare sermonem haud erit opus, cum Bonis omni-
bus & singulis de candore & dexteritate imò solertiâ in officio in-
signi hujus viri satis constet. Unde & factum ut An. 1682.
per legitimam successionem Pastor eligeretur hujus Templi
Et licet suas quoq; habuerit infirmitates, prouti hominum ne-
mo sine navis vitit, peccata tamen regnantia & enormia pro
ratione officii sibi demandati, sedulè evitare studiosè semper
allaboravit. Quam curam, animarum sibi concreditarum,
gesserit, quam beneficentiam pauperibus, viduis aliisque
ope destitutis exhibuerit, quam integritatem cordis
servaverit, loquuntur, que de ipsius Morte inaudiuntur
querela gravissima. Quid mirum igitur vitam istiusmodi pland
Eximiam Beatam quoque subsecutam fuisse ἀνάδωρον, quam sa-
pius B. n. lacrymis etiam profusissimis, addens, se tadium vite
sapientium experiri, sibi optavit. Cumque procul dubio ani-
mad,

inadverteret per decrecentes sensim sensimque corporis vires firmam sibi instare optatum, nil magis quam animam curare diligenter alloboravit. Quo circa eò vehementiori stragavit desiderio & Synaxeos, quò majorem ex sanctissimo isthoc Epulo confortationem anima accedere religiosissime credidit: Unde Dom: I. Advent. etiam è manu Viri Maximè Reverendi ac Excellentissimi DN. SIMONIS HENNINGS, S. S. Theol. D. celeberrimi & Archi-Diaconi Jacobai Meritissimi cœ Confessionarii & Quidam illud Δεσπινὸν devotissime accepit, posteaque, posthabitis mundanis, (uti eo ipso die, quo mortuus, severe monuit, sager mir nun nichts mehr von irdische Dingen) omnes cogitationes cælo intendit; quod ut eò felicius impetraret, à prælaudato Dn. Confessionario reiterationem ipso emortuali die sanctissimi Sacramenti Eucharistici desideravit. Composita cum sic omnia in B. n. ad beatissimam essent emigrationem, diu etiam illa non fuit dilata, sed ipsa vesperà Fer. II. Natalit. horà VIII. B. nosler inter adstantium suspiria & preces sine ullo mortis horore aut tremore placidissime in Domino obdormivst A. sue ætatis XLVIII. & IV. Mens. Hactenus ea, quæ communicata nobis sunt. Morbus B. fatalis cui curando adhibitus Ipse sum, fuit Hydrops, Medicis Ascites dictus, prava enim & cachectica sanguinis, ex variis causis contracta, dispositio, diversis, jam per aliquot annos, valetudinem ejus infirmantibus subinde morbis ac symptomatibus, ansam dedit; præprimis verò in tenellulis vasis lymphaticis, infimi ventris obstructions produxit tenaces, quas postmodum consecuta fuit, lymphæ in vasis suis stagnatio, vasorum distensio, mox ruptio, tandemq; contenti humoris, jam acrioris facti, effusio, & in cavitate abdominis collectio; unde infimus venter in insignem, successu temporis, excrevit intumescentiam, à conjunctis flatibus in tantum auctam, ut extendi amplius, sine ruptionis periculo, nequiverit. Huic accessit tumor pedum œdematosus, impressa digiti vestigia aliquandiu retinens, febris lenta, intolerabilis sitis, ciborum fastidium insigne, summa circa præcordia anxietas & angustia cum spirandi difficultate, quæ in decubitu incrementum nonnunquam sumpsit, adè ut erectus sedere & spiritum ducere coactus fuerit tussis ficca, & inanis ad tussendum irritatio urina pauca, crassa, rubra, intensissimus dolor in regione lumbari & abdomine


mine; quibus omnibus ultimo tandem loco sese associavit Jete-
rus flavus, cum uvulae & tonsillarum inflammatione, fauciumq;
exulceratione. Ad quorum symptomatum venementiam
sedandam, morbumque ipsum tollendum, varia quidem & in
istiusmodi affectibus oppido salutaria, tam interna quam ex-
terna, fuere praescripta & adhibita remedia, quae tamen cun-
cta tanta non existerent efficaciae, ut rebelli morbo obsequium
imperare potuerint: hinc factum, ut, aqua jam vasa pulmonum
occupante, faucesq; occludente suffocatus, cum maximo omnium
sui desiderio, ad Patriam, omnis morbi mortisque expertem, feli-
citer transferit. Ita est, amilimus Virum, singularibus donis, ad perfici-
endum munus sacrum a summo diribitore Deo largiter instructum,
quae in primis commendabat, Deo, hominibusq; gratissima;
animi humilitas. Nec enim, quod omnes probe novimus,
B. n. elatione animi fastuosus, & praesumptione de semet, iusto
majori superciliosus erat. Quam imperterrito animo, in seculi
depravatos mores invehi solitus sit, quam graphicè depingere
eosdem, quam pathetico dicendi genere in Auditorum ani-
mis relinquere aculeos valuerit, res ipsa testatur. Et quantam
quaeso fidelitate ac industriam, reliquis officii sui curis, concre-
ditarum sibi animarum rationem habuit? Non ille, morborum
malignitate, vel noctis tenebris aut diei quibuscunque mo-
lestiis, viriumve attritarum conditione, vel impedimentis aliis
se prohiberi passus unquam est, quo minus spirituali solatio
praesto esset aegrotis & moribundis. Hospitalitate etiam, in-
ter alias Praecone DEI dignas virtutes, & sublevatione, pau-
pertate ac miseriae pressorum, famam certe perennitatem me-
ruit, summumque sui apud multos desiderium reliquit. Lu-
get ergo merito & ex animo luget, coetus cui praesuit amplif-
simus, Antistitem Ductoremque optimum, Pastorem anima-
rum vigilantissimum, cui non facile nanciscetur parem, quem
tamen ut nanciscatur ex animo precamur. Quiescat nunc in
pace. Parabuntur autem hodie defuncto exequiae, quas ut
frequentiori comitatu ornentis, vestrumque sic erga sacro-san-
ctum Jehovah Verbum, Verbique Ministerium favorem, Prae-
sonis exuvias ad dormitorium deducendo declaretis, id abs
vobis Cives OO. honoratissimi, qua par est humanita-
te & autoritate contendo. P. P. die. IIX. Jan.

A. MDC XCII.

Conventus fiet Hor. I. in Aede Jacobaâ.

*mauadereret per decreſcentes ſenſim ſenſim
nem ſibi inſtare optatum, nil magis quam a
genter alloborauit. Quo circa eo uehemen
ſederio & Synaxeos, quò maiorem ex ſane
confortationem anima accedere religioſiſſi
Dom; I. Advent. etiam è manu Viri M
ac Excellentiffimi DN. SIMONIS HENNIA
celeberrimi & Archi-Diaconi Jacobi Mer
ſionarii ἐφοδὸν illud Δεπρονδὸν deuotiſſime
poſt habitis mundanis, (uti eo ipſo die, quo m
nuit, ſaget mir nun nichts mehr von irdiſ
cogitationes cælo intendit; quod ut eò feliciti
laudato Dn. Confefſionario reiterationem
ſanctiſſimi Sacramenti Euchariffici deſidera
cum ſic omnia in B.n. ad beatiffimam eſſent
etiam illa non fuit dilata, ſed ipſa veſper
horà VIII. B. noſter inter adſtantium ſuſpiri
mortis horore aut tremore placidiſſime in D
A. ſue ætatis XLVIII. & IV. Menſ. Hactenus ea,
nobis ſunt. Morbus B. fatalis cui curando adh
Hydrops, Medicis Aſcites dictus, prava enim &
nis, ex variis cauſis contracta, diſpoſitio, diuer
annos, valetudinem ejus infirmantibus ſubin
ptomatibus, anſam dedit; præprimis vero
lymphaticis, infimi ventris obſtructiones pro
poſtmodum conſecuta fuit, lymphæ in vaſis
forum diſtenſio, mox ruptio, tandemq; cont
acrioris facti, effuſio, & in cavitare abdomin
infimus venter in inſignem, ſucceſſu tempo
meſcentiam, à conjunctis flatibus in tantum
amplius, ſine ruptionis periculo, nequiver
tumor pedum œdematoſus, impreſſa digiti
diuretiniens, febris lenta, intolerabilis ſitis, c
inſigne, ſumma circa præcordia anxietas & ang
di difficultate, quæ in decubitu incrementu
ſumpſit, adeo ut erectus ſedere & ſpiritum du
rit tuſſis ficca, & inanis ad tuſſiendum irrit
Cra ſſa, rubra, intenſiſſimus dolor in regione*

the scale towards document



*vires ſt
re dili
bit de
Epulo
Unde
rendi
ol. D.
onfes
aque,
è mo
mues
à præ
lo die
poſita
e, dia
talit.
ne ullo
mivst
licata
n, fuit
nguiv
qvot
ſym-
vaſis
qvæ
, va-
, jam
unde
ntu-
endi
effit
van-
lium
ran,
vam
fue-
uca,
odo-
nine*